

datae, erectae autem auctoritate Vicarii Apostolici S. C. de Propaganda fide annuente.⁶⁰

Idem de Dalmatiae partibus Turcis subjectis affirmari potest, quia totalis cura populi illis commissa fuit, uti jam suo loco vidimus, ipsique sicut in Bosna sic et in Dalmatia suas parochias fundabant et administrabant. Post Turcarum vero expulsionem omnes parochiae, excepta una alterave,⁶¹ jam ex momento foundationis et erectionis erant regulares a conventibus per suos sodales religiosos administratae.

De parochiis in partibus Slavoniae et Croatiae Turcis subjectis res aliquantulum diversa apparet. Ibi enim semper, etiam sub othomano dominio, juxta Franciscanos in pastoralis munere insudabat et aliquis numerus presbyterorum saecularium in collegiis Illyrico et Firmano educatorum, qui aliquas parochias inserviebant, quaeque erant saeculares. Existebant igitur juxta parochias a Franciscanis fundatas et erectas etiam aliae — saeculares. Ipsi quoque fratres aliquando diversis occasionibus etiam quasdam ex hujusmodi parochiis providebant ac postea denuo presbyteris saecularibus reddere tenebantur.⁶² Unde in his regionibus facilius quam in Bosna, Hercegovina et Dalmatia, praeter titulum foundationis et erectionis parochiae regulares franciscanae fieri poterant et titulo praescriptionis. Attamen, omnes hodiernae parochiae provinciae SS. Cyrilli et Methodi inibi existentes de illo vero tempore provenientes jam ab ipsa fundamine sunt regulares. De noviter autem acquisitis jam suo loco titulum acquisitionis adnotavimus, sicut etiam de illis duabus provinciis S. Hieronymi in Dalmatia.

Unde stat affirmatio: Franciscanos jus ad parochias obtinuisse potissimum et quasi exclusive fundamine earum-

⁶⁰ Cfr. supra de erectione paroeciarum, 152 ss.

⁶¹ Sic parochia de Knin, post Turcarum expulsionem data fuit presbyteris saecularibus, qui eam deseruerant, atque tunc demum pleno jure tradita fuit conventui de Knin. Cfr. supra p. 203, nota 58.

⁶² Non semel dissensiones erant ex utraque parte cleri de hujusmodi paroeciarum usurpatione. Draganović, Izvješće apostolskog vizitatora Petra Masarechija..., in Starine J. A., XXXIX (1938), 15; Fermeđžin, Acta Bosnae, 417 sq., n. 1315; Archivum Prop., Acta, 1666, v. 35 f. 283r—284v; Acta 1672, v. 42 f. 212v—213v.